



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 100. Blasphemavit. v. 65.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tradidit, ut ita veritati studiose contradicant? O anima mea, si ibi fuisses & audisses veritatem ipsam loquentem, annon illam complexans defendisses? homines impios reprehendisses? dicens: in me stringite manus, in me contumelias dicite, & plaustra maledictorum projicite. Ego sum qui feci, nihil ille peccavit, nec potuit. Iste agnus Dei innocens, sed nos peccavimus & morte digni sumus. ipse autem est qui omnem satisfactionem dare vult patri pro nostris reabus. Gratia ergo tibi immensa sint o benignissime Iesu.

§. 100. *Blasphemavit. v. 67.*

Quomodo blasphemavit? o Caipha! quia scilicet se filium Dei nominavit cum sit filius fabri? Itane? & nonne fabri æterni filius esse queat, qui Fabri æterni opera in conspectu omnium fecit? Quomodo ergo blasphemavit, qui quod dixit, testimoniis miraculorum comprobavit? Lege Moysen, lege prophetas videbis exactissime eum ab iis qui de Messia prophetarunt depictum esse. Aspice miracula, crede factis, si verbis eius credere nolis, videbis sole clarius veritatem. nam quis lumen dedit cæco nato? nonne hic Iesus? quis pavit in deserto tot millia hominum paucis panibus & piscibus? nonne hic Iesus? quis mundavit leprofos? nonne hic Iesus? quis mortuum viduæ filium suscitavit? nonne hic Iesus, qui sexcenta similia mira perpetavit. an non factis probavit se filium Dei, qui se verbis id esse prædicavit. Quis alias similia fecit inter vos, anne igitur blasphemavit prædicando se filium Dei? qui opere fecit, quæ nullus alius facere potuit. Erras igitur, erras o Caipha & blasphemas ipsemet qui verum filium Dei blasphemare pronuntias.

O Iesu fili Dei vivi, quousque humiliaris & finis ut mundus te indicet blasphemum, qui patris Dei honorem ubique augere studeas & laudare & prædicare nomen eius. Insidiæ, insidiæ, non es blasphemus, sed verus Dei filius, verus in terris glorificator patris! ad talem igitur vocem cuius cor non rumpere tur? o patientia indicibilis omnes creaturæ te Deum agnoscunt & creatorem & largitorem bonorum omnium, hic Pontifex negat, insuper & te vituperat? & blasphemum declarat? cur non mandas ut ignis de cælo veniat & tale crimen puniat, aut vivum terra absorbeat? sed divini ardor amoris, qui tam ferventer ardet in te, ut nullus possit aquis extinguere, non permittit, ut alio velis igne homines absorbi, quam igne caritatis, igne dilectionis.

O igitur Iesu virtutis speculum, forma perfectionis, via vitæ, lucerna pedum meorum, da ut vestigiis patientiæ, humilitatis, obedientiæ & charitatis tuæ fideliter inhæream, adeoque vita mea cum tua concordet, qua-

qua-